



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apis Argvmentosa P. Georgij Schrötelij

Schrötel, Georg

Coloniæ Agrippinæ, 1633

Gloria Hiervsalem. a.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46515)

GLORIA HIERVSAL. 229

vinum ego, sed aquam humillimè peto,
non de cisterna illa Bethleemica, de
qua Rex David se refocillare cupiebat,
sed de fonte aquæ viuæ, cuius tu canalis
es: Ah deriuua in cor meum aquas salien-
tes in vitam æternam: impetra mihi irri-
guum superius & inferius, vt ros, & im-
ber cœlitus terram cordis mei fœcun-
dent, & riui hortum animæ meæ transe-
ant de fontibus Saluatoris. Quæ in cælis
coronata triumphas in omnem æterni-
tatem, Amen.

CLYPEVS OMNIBVS IN TE
SPERANTIBVS.

Vide in Lauretanis. Tit. Turris Dau-
dica. fol. 85.

GLORIA HIERVSAL-
LEM. a

Illa Iudith in multis ymbra fuit no-
stræ
a Iudith. 15.

stræ Patronæ; & vere umbra, si virtutes
& prærogatiuas spectemus: quia quan-
tum ipsum corpus umbram superat,
tantum & sine comparatione Maria ex-
cellit.

1.

Castâ fuit vidua Iudith, sed quid hæc
castimonia ad aureolam virginitatis?
Maria Virgo fuit, & quidem Virgo sin-
gularis, Virgo Virginum, ab ipsa imma-
culata conceptione.

2.

Iudith clausa mansit cum ancillis suis
in secreto cubiculo, orans, & ieiunans:
Maria in ipso templo, & separato virgi-
num loco, orationi, seruitijs Templi, &
lectioni S. Scripturæ vacabat, & cum An-
gelis fermocinatio eius.

3.

Illa sacerdotes docuit Deo fidere,
indignabunda increpauit illos, quod
terminum quinque dierum Deo præ-
scripsissent: Hæc ipsis Apostolis sola-
tio, & exemplo fuit: in fide semper
constans

constans permansit vsque ad resurrectionem filij; & post ascensionem Christi, commune refugium omnium fuit.

4.

Illa caput Holofernis abscidit, Legati tantum & Ducis exercitus, & hæc iuxta prophetiam caput contriuit hostis non tantum populi Israelitici, sed totius generis humani, Principis huius Mundi.

5.

Illa solam ciuitatem Bethuliam à varijs periculis liberauit; hæc gignendo Redemptorem nostrum, totum mundum à seruitute peccati liberum fecit.

6.

Illam sacerdotes, & populus vnus Ciuitatis laudârunt, & varijs honoribus affecerunt; hanc tota Ecclesia, per totum terrarum orbem diffusa veneratur, iuxta proprium eius vaticinium,

L

Ecce

a Gen. 3.

Ecce enim ex hoc beatam me dicent, omnes generationes. Quin & Angeli, & tota curia cœlestis hanc suspiciunt, & venerantur.

7.

Illi populus, ciues, vnius ciuitatis, aurum, gemmas, & varia dona dederunt. Hæc amicta Sole, & Luna sub pedibus eius. De hac Deo psallit Propheeta: *a Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* A sanctissima Trinitate in cœlis coronata, Salue Regina, Ave Regina cœlorum, Regina Sanctorum omnium totum per orbem terrarum salutatur.

8.

Illud canticum peculiare Deo pro gratiarum actione cecinit: Hæc nostra tympanistria similiter & sine comparatione elegantius Canticum cecinit, plenum mysterijs, & sacris vaticinijs.

9.

Diem victoriæ huius, Iudæi annuè cele-

Psal. 44.

celebrant: Nostræ autem Iudith plures per annum festiuitates institutæ, supremus secundum Deum cultus hyperdulia decretus, aræ, templa eriguntur, Litanæ, Rosaria, & aliæ peculiare preces quotidie, summa animi deuotione persoluuntur.

An non ergo nostræ Iudith illud potius Elogium conueniat? Tu gloria Hierusalem (cœlestis) Tu lætitia iustorum omnium, Tu honorificentia populi Christiani.

S. Ambrosius huius viduæ fortitudinem admiratur: *a* Primus, inquit, triumphus Iudith fuit, quod integrum pudorem de tabernaculo hostis reuexit: Secundus quod fœmina de viro reportauit victoriam, fugauit populos consilio suo. Non expiauit mortis periculum, sed nec pudoris, quod est grauius bonis fœminis; non vnus ictum carnificis, sed nec totius exercitus tela trepidauit. Maluit, inquit, pro omni-

L 2

bus

a Off. lib. 3. c. 13.

bus periclitari, vt omnes eximeret periculo. Sic ille. Magna certè charitas, prudentia, fortitudo elucet.

PIÆ CONSIDERATIONES.

Occasione huius viduæ, circa totam illam historiam quædam digna consideratione occurrunt.

I.

Superbia semper Deo inimica est. hæc odit, & punit. Nimio quodam fastu elatus Holofernes, indigne ferebat Iudæos se ad defensionem comparare, & non statim ei obuiam procedere, & rogare ea, quæ pacis sunt. ideo extrema minatur, & suos Duces ad ferociam incitat. Sed humiliatur per foeminam, quæ ei superbam ceruicem imbecilli manu amputat. Hoc in Deo etiam animaduertit humilima nostra Iudith, quæ ita canit;

Dispersit

*Dispersit superbos mente cordis sui: Deposuit
potentes de sedibus, & exaltauit humiles.*

Erubuit fortis miles Abimelech, *a*
cerebrum ei à muliere fragmine molæ
elifum, idque turpe ducens, ab armige-
ro suo occidi voluit, qui viuere ampli-
us non poterat.

Sic à Debora prophetissa, Sifara prin-
ceps exercitus Iahin Regis Chanaan, *b*
clauo tempora transfixus, inglorius oc-
cubuit. Taceo alia similia. Humiliamini
ergo omnes fastu tumentes, sub potenti
manu Dei, qui aufert Spiritum princi-
pum. *c* Deus superbis resistit, humilibus au-
tem dat gratiam.

2.

Sicut Holofernes aquæ ductus & ca-
nales recidit, vt ciuitatem Bethuliam
premeret, & necessario aquæ vsu priua-
ret: Ita communis hostis noster conatur
nobis adimere fontes gratiarum, & ma-
xime patrociniū B. Virginis, quæ ca-
nalis

L 3

a Iudic. 9.

b Iud. 4. *c* Iac. 4. Prou. 3.

r.
peri-
pru-

IO.

ca to-
n dig-

a est.
fastu
at lu-
e, &
& ro-
a mi-
inci-
uæ ei
a am-
nerit
canit;
per sit

nalis est omnium gratiarum , & puteus
aquarum viuentium. Rogemus Domi-
num vt iugiter nobis fluat hæc vena vi-
tæ.

3.

Notandum dictum hominis Ethnici
Achior, qui ex sola historia Iudæorum,
quam legerat, animaduertit quomodo
Deus suum populum regeret. Ita ergo
Holoferni sapienter suadet: *a Perquire mi-
Domine, si est aliqua iniquitas eorum in con-
spectu Dei eorum, quoniã tradens tradet illos
&c.* Si verò non est offensio populi huius
coram Deo suo , *b* non poterimus re-
sistere illis ; *quoniam Deus eorum defendet
illos &c.* Hoc & toti communitati in-
ter Christianos notandum , & cuius in
particulari. Plena est historia sacra exem-
plis.

4.

Ecce vt Veritas plerumque odium
pariat: Propter veritatem dictam Achi-
or ni-

a Cap. 5. *b* Ecce fructum lectionis sacre
historie,

or nimium potentiam veri Dei exaggerans, cui nemo resistere possit, abripitur, ligatur, hosti traditur, ut ciuitate capta exquisito supplicio afficiatur. Sed ecce bonitatem & prouidentiam Dei: hic homo gentilis cernens caput Holofernís, miraculosa victoria commotus, in verum Deum credit, & Legem Iudæorum acceptat.

5.

Filij Israël ut viderunt multitudinem illorum, prostrauerunt se super terram, mittentes cinerem super capita sua, vnanimes orantes &c. Et assumpserunt arma bellica &c. Ecce quid in publicis necessitatibus, & priuatis, faciendum. Primo Deus in auxilium vocandus: deinde nostri conatus adhibendi. Initio quando exiuit Iudith orauit, & quando iam ictum intentabat: *Confirma me Domine Deus in hac hora cap. 13. & percussit &c.*

L 4

6. Iu.

a Cap. 7.

6.

Iudith licet instinctum à Deo habuerit ad magnum facinus pro populo suo patrandum, tamen feruenti ad Deum oratione, ieiunijs, cilicio se armauit: ita in rebus arduis faciendum, in causa quantumuis æqua semper auxilium Dei implorandum, nunquam nobis solis nimium fidendum.

7.

Viuit ipse Dominus, inquit Iudith, quoniam custodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem, & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari &c. a Miraculum fuit foeminam tam speciosam, tam pretiose cultam, à militibus qui eam comprehenderunt, nec spoliatam, nec violatam. Miraculum item, quod Holofernes ad quã captiua ducta erat, alioqui voluptati deditus, & specie eius iam captus, in quartam noctem expectauerit, ingressum & egressum, de die, & de nocte liberum.

reli-

a Cap. 7.

reliquerit. Ecce quomodo Deus suis ad-
 sit, Iudith dat gloriam Deo, agnoscit ab
 Angelo, quem ei Deus attribuit, se cu-
 stoditam euntem, ibi morantem, & re-
 uertentem: Ita Tobias, tres pueri in ca-
 mino ignis, Petrus in vinculis, & alij ab
 Angelis auxilium senserunt. Nos sæpe à
 nostris Angelis beneficium accipimus,
 & non agnoscimus, nec gratias agimus,
 nec ad ardua negotia in auxilium voca-
 mus.

8.

*Et iucundus factus est Holofernes ad eam,
 bibitque vinum multum nimis, quantum vn-
 quam biberat in vita sua. Ecce typum filij
 huius sæculi; a qui ducunt in bonis dies suos,
 & in puncto ad inferna descendunt. b Quam
 vanæ spes hominum. Deuorauerat iam
 spe Beth uliam occupandam; specie mu-
 lieris captus erat, & iam consensum im-
 petratum putabat, ideo rerum securus
 genio indulgebat. Quis credidisset ea-*

L 5

dem

a Cap. 13.

b Iob. 21.

dem nocte maētandum? & tamen apud Deum iam decretum erat. Pugnant inter se, animi tumor Holofernis, carnis æstus, ebrietas, somnus, & fallax securitas: Ex parte vero Iudith humilis, & feruens oratio, ieiunia, cilicium, vigiliæ, magna erga Deum fiducia. Tumidum Holofernis animum, humilis oratio Iudithæ edomat; Ebrietatem, ieiunia damnant; æstum carnis cilicia pungunt; vino somnoque sepultum, vigiliæ deprehendunt; mulier vincit, feroci Tyranno caput aufert.

Ecce contraria studia, & diuersos rerum euentus, filiorum huius sæculi, & seruatorum Dei.

9.

Extare voluit Iudith æternum monumentum huius rei, Conopeum Holoferni suspendens; idque non tam propter se, quam vt glorificetur Deus, quoties in oculos hominum hoc anathema incurreret. Placet quippe Deo gratitudo & laudes ex memoria beneficio-

fictiorum: ideo statuae erectae, annuae fe-
 stiuitates institutae, vt in memoriam no-
 bis res praecclare, & sancte gestas refrice-
 mus. Ideo pro summo etiam Ecclesiae
 thesauro nobis à Christo relicto (insti-
 tutionem inquam sanctissimae Eucha-
 ristiae) Christus Apostolis mandauit, *Hae*
quotiescunque feceritis, in mei memoriam
facietis. Contentus quasi, saepe nos huius
 amoris meminisse, eique debitas gratias
 persoluere.

ORATIO:

O Gloria Hierusalem (coelestis) O
 laetitia Israel, o honorificentia po-
 puli Christiani, gloriosissima Vir-
 go Maria, quae non tantum vnā ci-
 uitatem, sed totum genus humanum
 ab obsidione liberasti, & superbissimi
 hostis nostri caput contriuisisti. Ecce ani-
 ma mea obsidetur, o Domina, ne patia-
 re quæso fontes aquae viuae mihi ad-
 imi, & arida siti nimium premi. Sed

L. 6.

fluat.

fluat in cor meum per te quæ canalis es
omnium gratiarum, vena vitæ, quæ me
in spiritu recreet, & vires instauret. Do-
cuit me Iudith , & omnis populus Be-
thulix, orationibus, ieiunijs, & alijs Deo
gratis obsequijs, iratum Numen flecte-
re. Ecce ego vermis & non homo, sub
potenti manu filij tui me humilio , &
prosterno, ac per te misericordiam im-
ploro , & quia ab hoste meo ita cingor,
& premor , vnde & extrema calamitas
mihi timenda , te veram Iuditham no-
stram humillimè rogo, vt tam potentem
& minacem hostem meum, forti manu
tua sternas, vt ab ipso securus, & liber,
Deo meo quiete seruire, & tibi debitas
gratias dignè persoluere valeam. Quæ in
coelis coronata triumphas in om-
nem æternitatem ,
Amen.

SAN-